

*Capitoli testamentari di Caterina,
moglie di Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Capitoli testamentari di Caterina,
moglie di Guglielmo Ruffo*

1328-08-21

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo octavum, die vigesimo quarto mensis augusti, undecime inditionis apud Giracium. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno vigesimo feliciter amen.

Ego Catharina de Crispai de Alamania, consors viri magnifici domini Guglielmi Ruffi de Sinopolis militis, ducalis cambellanus et familiaris, per Christi gratiam sana mentis, saneque memorie sue compos de bonis meis omnibus presens meum testamentum in scriptis condidi in hunc modum. Per quod in primis commendo animam meam Domino Deo vivo. Item eligo mihi sepulturam intus in Ecclesia Sancti Francisci loci Minorum Giracii, in qua sepultura mea volo quod fiat cappella una cum altare in qua celebratur divina officia, et volo et lego quod expendantur per epitropum meum infrascriptum pro faciendo ipsam cappellam cum altari, et pro emendo indumenta et paramenta sacerdotalia uncias sexdecim in carolenis argenti liliatis, sexaginta per unciam computatis; et volo quod sepeliar cum habitu Sancte Clare. Item lego predicte cappelle camillottum meum nigrum inforratum de cindato rubeo, de quo camillotto fiat casubula una pro ipsa cappella. Item lego Fratribus Minoribus Giracii, pro celebrandis missis pro anima mea, in supradicta pecunia unciam unam. Item volo et lego quod distribuantur et erogentur pro omnibus personis religiosis, per epitropum meum infrascriptum, prout mihi visum fuerit, pro cantandis missis pro anima mea, in supradicta pecunia uncias quinque. Item lego

Monasterio Sancte Veneris monalium de Giracio, in supradicta pecunia tarenos due. Item lego Monasterio Sancti Pantaleonis de Giracio, in supradictam pecunia tarenos duem. Item lego Ecclesie Sancte Marie de Punti Castri Giracii, in predicta pecunia tarenos due, de qua pecunia emetur sepultura una pro ipsa ecclesia. Item lego domino giracensis episcopo, pro anima mea, in dicta pecunia unciam unam. Item lego clero qui interfueret esequiis meis, unciam unam predicte pecunie. Item lego domine sorori Iacobe Ruffe de Sinopolo, abatisse Monasterii Sancte Clare de Catanzario, pro anima mea, in supradicta pecunia uncias duas et imaginem unam, que est infigura Domini nostri Iesu Christi. Item lego sorori Margarite Ruffo de Sinopolo, pro anima mea uncias duas pecunie supradicte. Item lego Conventui Monasterii Sancte Clare de Catanzario, pro anima mea, in supradicta pecunia unciam unam. Item lego Domine Thomasie, uxori magistri Guglielmi Danari, robbam meam de viridi, et augustales duos pecunie memorate. Item lego Domine Consolde uxori Matthaei Acimatoris, in predicta pecunia tarenos duodecim; et Violanti mulieri, filie ipsius Domine Consolde, super tunicale meum de blueto inforratum de baiado. Item lego Dominice, servitrici mee, tunicam meam de panno vividi, et tarenos duodecim predicte pecunie. Item lego Margarite filie Venture de Teliti pro anima mea super tunicale meum de misquato, et predicta Venture de Teliti, pro anima mea, tarenos duodecim pecunie memorata. Item lego Domine Clementie, servitrici mee, in predicta pecunia augustales duos. Item lego Imbandiate, uxoris Simeonis, in predicta pecunia tarenos sex. Item lego Malgerio clerico, familiari meo, in supradicta pecunia uncias duas. Item lego Armonis, servitrici mee, in supradicta pecunia augustales

duos, et volo commoretur cum Colella filia mea. Item lego Carolo filio meo totam partem me contingentem de Castro Corbarii, et Palicii; et volo quod statum quod ipsi Carolus ad etatem legitimam perveniat, quod habet totam partem me contingentem de Castris predictis; et volo quod si forte, quod absit ipse Carolus ad etatem legitimam non pervenerit, quod habeat totam partem me contingentem de Castris predictis Enricus filius meus, etiam si ipse Carolus moreretur filiis ab eo legitimis minime derelictis quod succedat in dictis bonis legatis per me ipsi Carolo, Enrico predictus. Item lego Enrico, filio meo, totam partem me contingentem de bonis regii pheudi Burburusii, et Platarie, mihi et domino viro meo concessis pro ducalem excellentiam. Item lego, predicto Enrico, totam terram me contingeret de terra quam recipere et habere habeo a domino nostro duce, una cum domino viro meo prout in litteris ducalibus, mihi et domino viro meo concessis continetur. Item lego, prefato Enrico filio meo, uncias sexaginta quinque, et tarenos tres predictae pecunie, de qua pecunia volo quod ematur terra per eundem Enricum, et si terra non invenietur ipsa pecunia deponatur nomine ipsius Enrici, et inventa possessione ematur de dicta pecunia possessio pro eodem Enrico. Item lego predicto Enrico partes meas omnes, et volo quod legata predictam ipsi Enrico procurentur per dominum virum meum, donec quod ad etatem legitimam pecuniam; ipso enim existente etate legitima, volo quod predictam legata ad predictum Enricum incontinenti perveniant et habeat. Si ipse Enricus moriatur sine filiis legitimis et relictis, volo quod succedat eidem Carolus, filius meus. Item lego domino Guglielmo, viro meo, coppas meas ad pedem, nappas, salarii, scutellas et cugradias meas de argento, et anulum meum de smaraldo. Item lego

Colelle, filie mee, coronam meam magnam, frontaliā meam, que est cum pernis et zaffiris. Item lego, predictae Colelle, coronam meam parvam de argento cum pernis et lapidibus, et saguntam meam cum pernis. Item lego predictae Colelle corrigias de argento duas cum pernis et smaltis. Item lego, predictae Colelle, corrigiam unam que est ad arma domini comitis Catanzarii, et domine comitisse, consortis sue. Item lego eidem Colelle corrigiam unam de argento parva deauratam, cum chinito de azzurro, et anulum meum magnum, et anulum parvum cum smaraldo parvo. Item tunicam parvam, que est tota virgata de auro, et supertunicalem meum rubeum de sagra rubea. Item lego eidem Colelle tunicam, super tunicale, et cappam de belluto rubeo inforrata, cappa de armenio, et supertunicale de baiulo. Item mantellum unum belluti bleui, inforrato de baiolo, et par unum cercellorum de pernis et smaldis, tunicam et supertunicalem de starullata. Item lego, predictae Colelle, tunicam meam tarantasis, que predicta bona legata eidem Colelle volo quod dentur eidem Colelle per dominum Guglielmum virum meum in dotem, et dotis nomine, et extimentur prout eidem domino Guglielmo melius videbitur si ipsa Colella nupserit viro, et volo quod si contigat, ipsam Colellam, mori antequam nupserit viro, predicta bona legata eidem Colelle dentur per eundem dominum virum meum in dotem, et dotis nomine Macalde, filie mee. Item lego Macalde, filie mee, iurlandam meam de auro cum pernis et smaldis et rubinis, et frontaliā unam que est cum quatuor pernis et rosettis de argento deauratis. Item lego, predictae Macalde, mazonum unum de pernis et smaldis. Item lego, predictae Macalde, corrigiam de argento deauratam, que est ornata de azzurro nigro. Item lego eidem par

unum cercellorum cum pernis et smaldis, in qua sunt lapides in medio, ubi sunt perne, et cappellum meum cum pernis, tunicam de panno auro et tunica de belluso viridi, et sorcettum unum de miscato, inforratum de baiolo, et robbam meam coloris ialini, et robbam meam coloris bruni, que predicta bona legata volo quod dentur et extimentur eidem Macalde per eundem dominum virum meum in dotem et dotis nomine si nupserit viro, et si forte contingat quod absit ipsam mori antequam nupserit viro, volo quod res legatas eidem Macalde dentur dotis nomine, per eundem dominum virum meum, Colelle filie mee, si ipsa Colella non fuerit maritata, et si maritata fuerit, volo quod succedant alii filii mei. Reliqua bona mea mobilia lego filio, vel filie mee posthume. In iuribus autem actionibus, rationibus, et omnibus aliis bonis meis, meum heredum et successorem legitimum instituo Carolum, filium meum, et omnia predicta legata per me, volo quod erogentur et distribuantur per dominum Guglielmum virum meum predictum. Quem meum epitropum et fidei commissarium testamenti mei, predictorum distributorum, et exquutorem esse volo et anime meam esse volo ultimam voluntatem quam valere debeat iure codicillorum, vel alterius cuiuslibet voluntatis, vel eo iure quo melius valere poterit.

In cuius rei testimonium, ad futuram memoriam, et predicti heredis et aliarum personarum legatarium predicti, et cuius se quorum intererit et interesse poterit cauthelam presens meum testamentum scribi fieri mandamus per manus notarii Nicolai Tropeani regii publici notarii et totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinati, et iudicis Ioannis de Thetis, iudicis civitatis Giracii, sigillo et subscriptione scriptum et

subscriptum per manus dicti notarii publici sigillis, et subscriptionibus infrascriptorum ad hoc vocatorum subscriptionibus et sigillis roboratum meis precibus et mandato. Actum anno, die, mense loco et inditione premissis, expensum pro exequiis domine per dominum Guglielmum ultra legatum in liliatas uncias quinque expensum est, et datum filie notarii Nicolai Tropeani in liliatas uncias duas que in testamento posite sunt, et mandavit quod exsolvantur. Ego Ioannes de Theti iudex civitatis Giracii rogatus, et presens una cum omnibus infrascriptis ad omnia et singula, in hoc presenti testamento et informationes facta contenta, et scripta simul presentibus, et rogatus in ipsa pagina et testamentum suum, mandata manu mia in testimonium me subscripsi, et cum sigillo parvo sigillavi. † Ego Petrus de domino Ioanni rogatus. † Ego Rubertus Luciferus rogatus. † Ego Riccardus de domino giracensis decanus rogatus. † Ego magister phisicus Ioannes de Neapoli rogatus. † Ego Nicolaus de Tarsia rogatus. † Ego Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam ordinatus, mandato domine Catharine hoc testamentum, et heredis institutionem, per mea propria manu scripsi, et me subscripsi.